

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE SERMONE QUI NOBIS NATUS EST

Hac locutione Ciceroniana in titulo potius usus sum quam verbis magis usitatis, velut «de sermone patrio», propter ea quod iam in enuntiando argumento occurrebam cuidam difficultati. Nam sermonem quem Romani «patrium» vocabant, hodierni «maternam linguam» nuncupare solent omnibus in sermonibus vernaculis (*lingua materna* Italice, *langue maternelle* Francogallice, *Muttersprache* Theodisce, *mother tongue* Anglice, *lengua materna sive nativa* Hispanice). Haec differentia, meo sensu, non est fortuita, sed significationem fundamentalem habet, quam tamen hic ultra non perscrutabimur.

Hoc revera patet, quod, cum cogitamus de lingua materna, amore corripimur, quasi sit erga matrem ipsam. Hic sensus communis est atque multi politici eo iam diu usi sunt plerumque ad pecu humanum pro se quisque segregandum.

Sed quid re vera sit «lingua materna», unde diversae linguae oriantur, atque quibus rationibus singulae linguae singulis hominibus factae sint «maternae» non multi sciunt. De hac re mihi licuit cogitare, cum, ante nonnullos menses, acroasin Bruxellis audivissem, quam fecit Iohannes Klein, litterarum professor in universitate Lovaniensi¹. Titu-

lus eius acroasis erat: «La résistible conquête de la France par le français», id quod his verbis Latinis reddere possum: «Quo modo, non necessario, sermo Francogallicus totam Francogalliam pervaserit.

Cuius acroasis nonnulla referam, scitu eo digniora quo minus sunt nota.

Quivis sermo, autumat Iohannes Klein, sua sponte tendit ad divisionem in multas dialectos. Lingua Latina, olim adhibita in regionibus hodie Francophonis, paulatim est depravata atque diversimode putruit in singulis vicis.

In harum diversarum dialectorum locum gradatim substituta est nova lingua, quam Francogallicam vocamus, id quod non natura factum est.

Haec enim lingua a regentibus est imposita. In initio, id est ante mille circiter annos, cum domus Capetiana regnum obtinuit, vigeat in regione c.n. Insula Franciae quaedam dialectus Romanica ceteris non impar. Cum regni Francogallici sedes esset Parisiis, id est media in Insula Franciae, eius dialectus auctoritate paulatim praevaluit, sed

in locum ceterarum se substituere non potuit; obstant enim imprimis dialecti Romanicae circumfusae, quae pertinent ad stirpem «oil» vocatam (i.e. particula



Abbas Gregorius (1750-1831) unus fuit ex actoribus revolutionis Francogallicae. Sodalitis Instituti, episcopus, senator, fuit vir maximi et ingenii et ponderis.

affirmativa ex verbis Latinis «hoc ille» orta, quae adhibebatur in his cunctis dialectis). Postea, cum regnum ad meridiem extensum est, obstabant aliae Romanae dialecti, magis differentes, quae pertinent ad stirpem «oc» vocatam (i.e. particula affirmativa in usu communi ex verbo Latino «hoc» orta). Paucae etiam pertinebant ad stirpem Cataloniensem. In regno Francogallico adhibebantur non solum dialecti Romanae, sed nonnullae etiam alienigenae, ut sermo Celticus in Armorica, dialecti Germanicae in Flandria et in Alsatia, necnon sermo Vasconicus in montibus Pyrenaeis.

Quae cum ita essent, diversae gentes regni Francogallici non desierunt suam quaeque dialectum adhibere modo paene exclusivo. In aula autem regis vivebant homines litterati et poetae, omnes litteris Latinis imbuti; illi, rege impellente, pedetemptim dialectum Insulae Franciae politioem, elegantioem locupletioemque finxerunt, quae fieret lingua Francogallica.

Sed XVI saeculo haec lingua nondum videbatur matura multis litteratis hominibus. Cuius rei optimum exemplum praebet Montaigne, scriptor Francogallus pernotus. Cum enim anno 1533 in Aquitania natus est, lingua Francogallica eius parentibus non videbatur satis valida; quare ei puero praeceptorem dederunt quocum tantum Latine colloqui liceret.

Cum anno 1539 rex Francogalliae, Franciscus I, edictum promulgat (v. Ordonnance de Villers-Cotterets) de usu linguae Francogallicae ubique regni imponendo in omnibus rebus officialibus administrativisque, hoc edictum nequaquam pertinet ad sermonem popularem; dialecti enim vigere pergunt in omnibus regionibus. Ne miremur ergo quod Racine (1639-1699), famosus scriptor Francogallus saeculi XVII, narrat se iter in Provinciam facientem, iam cum Lugdunum advenisset, non melius ab incolis intellectum esse quam Moscovita Parisiis.

Ne Latinam quidem linguam exstinxit Francisci I edictum. Quae vigere perrexit non solum in ecclesia catholica sed etiam in studiorum universitatibus et in collegiis, ita ut medio saeculo XVIII vehementes oriententur controversiae de utilitate linguae Latinae Latine docendae. Iam tunc ille famosus encyclopaedista c.n. d'Alembert suadebat ut tempus scholare in lingua Latina discenda tritum potius tribueretur institutioni linguae Francogallicae, quae «ita ignota manet post collegium frequentatum ut pessime adhibeatur» (citatum ex articulo «Collège» libri c.t. *Encyclopédie*).

Sed relinquamus linguam Latinam, de qua hic non est praecipue tractandum.

Ad summam, patet regimen regale Francogallicum, quod plerumque vocatur Vetus Regimen, numquam curavisse de lingua a populo adhibita. Monarchia nullum educationis propositum habuit. Regi iure divino oboedire debent subiecti, etiamsi eis sunt sermones diversi.

Exeunte saeculo XVIII fit illa magna rerum Francogallicarum mutatio, quae vulgo dicitur «revolutio». Abolita monarchia, politici, qui rem publicam Parisiis regunt, egent novo vinculo ad unitatem praeteriti regni sibi servandam. Tunc primum lingua inter universos cives communis necessaria apparet ad hoc novum vinculum formandum.

Dum saevit hoc regimen, quod vulgo vocatur «la

Convention», unus ex eius consortibus, abbas Gregorius, palam refert «de necessitate dialectorum exstinguendarum, quibusque rationibus effici possit ut lingua Francogallica sola ab universis Francogallis adhibeatur» («rapport sur la nécessité et les moyens d'anéantir les patois et d'universaliser l'usage de la langue française»; 4 juin 1794). Abbas Gregorius antea epistolam interrogatoriam circummiserat per totum regnum Francogallicum, qua informationes petebat de usu dialectorum. Hoc modo status linguae Francogallicae primum notus est.

In abbatis Gregorii relatione legimus inter viginti quinque circiter miliones incolarum regni Francogallici, ad minimum sex miliones, praesertim ruri, linguam Francogallicam ignorare; eundem fere numerum Francogallice colloqui nequire. Ad summam, numerus eorum qui pure Francogallice loquantur non excedit tres miliones atque probabiliter pauciores sunt qui recte scribere valeant.

Logice idem abbas Gregorius iam suadebat ut usus linguae Latinae aboleretur in monumentis publicis necnon in liturgia catholica.

Aliquid iam erat comperisse debilem linguam Francogallicae statum; multo difficilius erat rem mutare. Fuit longissimum opus, quod perseveranter et implacabiliter omnia regimina post revolutionem susceperunt.

«Scholae normales» conditae sunt ad magistros linguae Francogallicae formandos, qui quocumque territorii «nationalis» mitterentur. Mandata eis dabantur dilucida atque durissima. Exemplum affero: «Etiamsi pro Vandalo habebor, censeo statuendum esse de hac antiqua traditione dialectorum; oportet unaquaeque schola fiat colonia linguae Francogallicae in regione subacta» («Dût-on nous traiter de Vandale, nous sommes d'avis qu'on tranche au vif dans cette antique transmission des patois, et que chaque école soit une colonie de la langue française en pays conquis»). Aliud mandatum: «Curate ut pronuntiatum et sermo purgetur ab omnibus vestigiis horum temporum, quibus eadem institutio eademque lingua inter omnes Francogallos communis non erat.» Haec vehementia iussa tamen non suffecerunt, etiam post scholam primariam saeculo XIX omnibus pueris impositam.

Novae viae stratae, quibus accessus in remotas regiones facilius fieret, non parum iuvaverunt. Magni etiam momenti fuit primum bellum mundanum, quo iuvenes undique oriundi per quattuor annos commixti sunt et sermone Francogallico imbuti.

Saeculo XX maximum incrementum et hominum commeatus et communicationis rationum effecit ut scopus ab abbate Gregorio ante duo saecula indicatus tandem attingeretur.

*
* *

Quid nos docet haec historia? Imprimis hoc duae diversae inclinationes reperiuntur in sermonis usu:

- ex una parte, **usus familiaris** gignit sermonem mutabilem, multiformem, coartatum inopemque; eum fovet consuetudo et plerorumque hominum inertia;

- ex altera parte, **usus qui ad communicationem universalem tendit** (etiāsi haec universalitas limitata est) poscit sermonem uniformem, regulis rigidis necessario adstrictum; sermonem dico satis extensum ut etiā a non familiaribus dilucide intellegatur atque tam locupletem, quam poscunt multiplices cultus civilis aspectus; non sine multo labore et firma voluntate acquiritur talis sermo; quare ad minorem tantum civium partem pertinere solet.

Unusquisque nostrum, cum puer esset, sermonem familiarem adhibuit plus minusve politum; postea sermonem magis universalem sibi acquirere debuit, prout extra circulum familiarem vel pagum agere et communicare volebat. Infeliciter in Europa hodierna singuli sermones nationales tantum habent universalitatem restrictam atque impediunt ne ad universalitatem Europaeam tendamus.

Mutatis condicionibus historicis, mutanda sunt

consilia. Quid proponunt politici nostri? Postquam eorum antecessores effecerunt ut Europae membra separarentur cancellis linguarum «nationalium», quas dicunt, comperiunt quantum inde oriatur impedimentum: Europaei egent auxilio sermonis extranei, i.e. Americani, ut inter se de multis rebus tractare possint! Praeterea regentes nostri suadent ut quam plurimas linguas Europaeas addiscamus ut inter nos melius intellegamus. Nonne d'Alembert autumabat Latinum discere esse tempus perditum? Certe minus temporis perdemus unam linguam, Latinam dico, discendo quam complures vernaculas, quas praeterea numquam bene sciemus.

Gaius LICOPPE

(1) «L'Abbé Grégoire et le problème de la langue», in *Revue Générale* n°6-7, juin-juillet 1989.



DE NOVIS LIBRIS

HERGE, De Titini et Miluli facinoribus: De sigaris Pharaonis. In Latinum convertit Caelestis Eichenseer auxiliantibus Gaio Licoppe et Francisca Deraedt Bruxellensibus et Sigride Albert Saravipontana (Casterman/ELI, C.P. 6,I-62019 Recanati).

Multi sunt anni cum fabellae nubeculatae puerorum e palaestris exeuntes tam iuniorum quam seniorum plausus non iam clanculum, sed palam coeperunt movere; quaeque me puero sub mensis scriptoriis dissimulabantur furtimque legebantur dum Orbilius quidam permulta (ut tunc quidem videbatur) deblaterat, eadem in eisdem mensis aperte nunc conlocantur, immo ab ipsis praeceptoribus adhibentur quo alacrius addiscant discipuli sermones peregrinos. Nova hac ratione inficitur etiā institutio Latina. Erret tamen si quis id genus litterarum humillimum sine sudore converti posse opinatus inter interpretes sese promoveat, si Latine scribendo non sese exercuerit¹. Sermo enim talium fabellarum ut expeditus, ita et emendatus purusque oportet sit. Accedit huc quod maior ipsarum pars e colloquiis constat eis, quibus nostrae aetatis homines non iam Latine didicerunt; at Titinum introducere Tulliane loquentem minime licet: Plautine et Terentiane sermocinetur is! Sunt autem pauci qui dicendi genus Plautinum calleant! His de causis taeniolae imaginibus depictae quas vestibibus indutas Latinis adhuc legimus minus nobis placuerunt. Hic vero Titinum evolventes vere sumus delectati eiusdemque sermonem Latinum magna cum voluptate auscultavimus. Caelestis enim Eichenseer, qua est Latinae linguae peritissima, omnes fere Latinitatis fontes diligenter scrutatus idemque ad unguem est imitatus sermonem cotidianum, qualem e comoediis antiquis suspicari possumus atque aliquatenus restituere. Quod hic sermo hac in fabula reviviscit gratias agimus interpreti verborumque indagatori subtili. Omnia enim hic praecise, non tamen nude expressa. Locutiones (atque exclamationes!) hic offendes vere Plautinas, at etiā alia multa eaque verba semper aptissima, interdum rarissima (velut verbum «empturiendi», p. 4). Qua re paucissima habeo quae animadvertam, nihil quod obelem. P. 1: «Tum adibuntur Singapura,

postea Hongcongum, denique Sanghaevum...»: maluerim ipse «adibitur». P. 13: «Sed quomodo factum est ut essem hic?»: maluerim ipse «ut sim hic» (nam Menge, *Repet.* 327 g 1 in huiusmodi sententiam vix cadit). P. 14: «Homines nobiles deserti in viam se dent»: «deserti» ambiguitas aliquos in errorem induerit: maluerim «nomades nobiles». Sed hae sunt nugae, de quibus in utramque partem licet disputare². Id unum discipulorum nomine ab interprete petierim, ut in elencho verborum fabellae commodissime addito quaedam verba stellulis curet notanda; insunt enim multa quae vel post saec. II exiens vel etiā post medium aevum in usum sint inducta: ipsa cum in fragmentis, quae in scholis legi solent, non sint offensuri pueri, memoriae mandent fortasse non oportet; qua re signo aliquo a ceteris seiungantur.



(1) Cf. *Les Etudes Classiques*, 57 (1989), 277-278.

(2) Non intellego cur interdum scriptum sit «pauillisper» (p. 14), interdum «paululo» (p. 5). P. 38: Nomina significantiora, quae sunt «Peacock» et «Snowball», quodammodo Latine reddi poterant (adhibitis vocibus e Graecis fontibus detortis).



SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

DE CHOLESTEROLO

Quid sentiant medici aequalesque nostri de cholesterolo, non est quaestio nova. Attamen opiniones recentissimis annis valde mutatae sunt et certe mutabuntur in futurum. Itaque aestimentur conclusiones nostrae... cum grano salis.

Quid de cholesterolo? In morbo cardiaco ut causa iam diu agnoscitur. Nam in parietibus arteriarum ita accumulatur ut lumen arteriae coartetur. Itaque sanguis difficulter transit per arterias coartatas, unde fit ut non satis magna copia perveniat in musculos (inter quos cor ipsum). Non dubium est quin crassamenta cholesteroli causa sint anginae pectoris et infarctus myocardi. Subiunctis tabulis demonstratur morbum cardiovascularem augeri pro ratione copiae cholesteroli in plasmate sanguinis.

Sciamus tamen oportet cholesterolum non esse unicam causam periculi cardiovascularis; aliae causae sunt: hypertonia arterialis, tabagismus, sedentarietas, obesitas, diabetes mellitus.

Nunc pauca de metabolismo cholesteroli: non est solubile in plasmate, quam ob rem ab aliis lipidis transportatur antequam deponatur. Quae lipida sunt duorum generum:

- lipida LDL (angl. light density lipoprotein), quae videntur cholesterolum deponere non solum in hepar sed etiam in parietem arteriarum;

- lipida HDL (angl. high density lipoprotein), in hepate confecta, quae cholesterolum a pariete arteriarum auferunt ut in cellulis hepatis purgetur. Ergo effectus eorum est bonus.

Quid concludendum est?

Medico non sufficit cognoscere quanta sit copia cholesteroli totalis cuiusdam patientis, sed etiam quanta sit pars cholesteroli in lipidis bonis HDL et pars in malis LDL lipidis; eorum proportio insuper est

aestimanda.

Hanc proportionem temperare potest compositio alimentorum. Exempli gratia, haec sunt alimenta ad cholesterolum in plasmate mutandum apta:

- cavete:

- luteum gallinaceum, cerebellum, hepar, conchas, crustata.

- acida adiposa saturata, inter alia: butyrum, carnes adiposas (oves), caseum, botulos.

- bona sunt:

- acida adiposa poly-insaturata: olea vegetalia, margarina cum acido linoleico.


- acida mono-insaturata, i.e. olivae, oleum olivarum.

- pisces.

- fibrae alimentariae, sicut mala.


Prodestne nimiam cholesteroli copiam minuere? Mirum in modum studia recentissima monstrant deminutionem morbiditatis cardiovascularis (i.e. infarctus aut angina pectoris) non significare reductionem mortalitatis totalis. In actis diurnis Britannicis (B.M.J.) legimus hoc: mortalitas est eadem in grege patientium per multos annos propter cholesterolum curato atque in grege non curato. Nam in grege curato mortalitas augetur variis calamitatibus, inter alia morte voluntaria! Ergo mutatio ciborum videtur patientes perturbare.

Ad summam, iam a puero necesse est discere salubriter vesci.



Qua ratione infarctus myocardi et angina pectoris pendeant a libella cholesteroli totalis.

Dr Robertus DEMOL



Qua ratione morbiditas pendeat a libella cholesteroli LDL in sanguine.

BELLUM HIBERNUM


VIA DOLOROSA LIBERTATIS FINNORUM



ACROASIS IN SEMINARIO GRANIVICENSI VIVAE LATINITATIS 3.7.1990
ET IN FERIIS LATINIS NICENSIBUS 24.8.1990 HABITA

PARS SECUNDA

Incipiente mense Ianuario Finni admodum tranquillo animo erant, multique Russos exspectatione debiliores et rei militaris imperitiores se praestitisse gaudebant. Itaque cives domi quoque continuos impetus aërios eorum ante omnia urbes et vicus diruere et ferrivias frangere studentium bene sustinebant. At iam posteriore parte eiusdem mensis apparuit hostem minoris, quam esset, a nostris aestimatum. Stalin et Molotov se facili victoriae nimium confisos esse experti numerum copiarum armatarum imprimis Isthmum Careliae oppugnantium adeo auxerunt, ut Finni, cum initio contra triplicem multitudinem hostium dimicassent, ultimis mensibus belli circiter quintuplici exercitui Sovietorum obsisterent. In proeliis plures, quam antea, milites nostri - maxime praefecti copiarum - occisi aut vulnerati sunt. Sovieti satis superque recentium copiarum habebant, quas in bellum mitterent; Finnos autem integri milites, qui in fessorum locum substituerentur, deficere coeperunt. Etiam armorum et apparatusum in dies maiore egestate exercitus Finnorum laborabat. Id quidem, quod illa hiems fuit frigidissima, hostibus magis quam nostris frigore consuetis videtur minuisse alacritatem; sed utique non minus hinc quam illinc simul contra adversarios pugnandum erat, simul contra frigus. Cuius rei atrocitatem postea optime litteris expresserunt complures scriptores et poetae, inter alios Yrjö Jylhä in libro carminum, qui inscribitur *Kiirastuli* (Purgatorium). Item Arvo Turtiainen paucis versibus noctes Ianuarias descripsit, quibus dentes stellarum panem frigoris rodentes mordebant, luna velut lecticula feralis in Infernum caeruleum firmamenti navigabat, silvae atrae tremebant, columnae aurorae borealis consistebant, sica frigoris in manu mortis micabat.



Varij generis rebus adversis factum est, ut Finno-
rum reliqui, quamquam non minore quam antea
virtute hostibus resistebant, tamen nonnullis cladi-
bus gravissimis affecti paullatim ex stationibus hac-
tenus feliciter defensis se recipere cogentur.

Exeunte mense Ianuario opes nostrae adeo infir-
matae erant, ut ii, qui rei publicae nostrae praeerant,
itemque qui in exercitu summam imperii habebant,
bellum non iam diu geri posse intellegerent. Neque
tutum videbatur spei externorum auxiliorum, quae
Francogalli et Angli se nobis missuros esse polliciti
erant, patriam commendare; erat enim periculum, ne
ea apparanda et in Finlandiam transportanda tantum
temporis postularent, ut sero essent perventura.
Accessit huc, quod vicini nostri, Sueci et Norvegi,
veriti, ne odiis Germanorum in semet ipsos incitatis
inviti in bellum mundanum traherentur, auxiliis
transitum per fines suos negaverunt.

In hoc difficillimo rerum statu id unum Finnis exi-
guam lucem attulit, quod Sovietos ipsos iam taedebat
belli, quod sibi tam multo
sanguine constitisset ac tan-
tum infamiae attulisset. Die
29 mensis Ianuarii cognitum
est per Sovietos fieri licere, ut
cum Finnis rursus de pace
ageretur, et quidem cum legi-
timo gubernio Finlandiae, cui
praeerat Risto Ryti - de gu-
bernio Terijokiensi iam nihil
dictum est. Haec nostri non
esse aspernanda iudicave-
runt. Primum quidem ne-
cesse habebatur populum
Finnicum omnia celare, qui
nondum sciret, quantopere
afflictae et desperatae in acie
res essent. Per totum men-
sem Februarium, dum reli-
quiae exercitus nostri Vibur-
gum et circumiacentia eius
haudquaquam pari certa-
mine retinere conantur, gu-
bernium Finlandiae per in-
ternuntios cum Sovietis collo-
quebatur et ad directas
consultationes viam aperie-
bat. Hoc imprimis per
Alexandram Kollontai, Sovieto-
rum in Suecia legatam fie-
bat, quae Stockholmiae
munere suo fungebatur.

Tandem die 6 mensis
Martii legati Finno-
rum Mos-
cum vocati sunt. Condi-
ones pacis a Sovietis impositae
durissimae fuerunt. Nam praeter totum Isthmum
Careliae, quo tres urbes opulentae - Viburgum, Kex-
holmia, Sortavala - continebantur, plurimas insulas
in parte orientali Sinus Finnici sitas ac dimidium fere
Sallae, quae in Lapponia orientali est regio, Sovietis
tradere sumus coacti. Summus imperator noster,
mareschalculus Carl Gustav Emil Mannerheim, condi-
ciones accipiendas esse censuit dicens pacem melius
fieri, dum exercitus noster invictus esset.

Dies 13 mensis Martii, quo foedus subscriptum
erat ac proeliis finitis nuntius pacis factae per totam
Finlandiam percrebruit, quodam modo dolorosissima
pars fuit viae illius dolorosae, quam peragraveramus.
Plus viginti milia militum nostrorum in proeliis occisa
erant, vulnerata circiter quadraginta quinque millia;
neque tamen nobis contigerat, ut Careliam, ubi acer-
rime pugnatum erat, servarem. Haud multum
Finnos consolabatur, quod Sovietis et occisorum et
vulneratorum numerus decemplex erat. Quidnam
populus Finnicus illo die memorabili senserit, for-
tasse optime apparet ex capitulo paenultimo edicti
celeberrimi a mareschalco Mannerheim in posterum
diem promulgati atque omnibus Finnis destinati:


«Sors nostra dura est, nam territorium, quod per
saecula multo sudore et labore coluimus, genti alle-
nae, quae diversam vitae rationem et diversa instituta
moresque habet, derelinquere debemus. Nobis
autem dura consilia adhibenda sunt, ut profugis
domicilium et meliorem victum omnibus praebeamus

in partibus illis, quae nobis
iam supersunt. Haec au-
tem patria diminuta defen-
denda est eadem pertina-
cia et eisdem firmis rati-
onibus, quibus patriam inte-
gram defendimus.» (Latine
vertit Teivas Oksala).

Iam postero anno or-
tum est novum bellum,
quod plus triennium dura-
vit. In eo quoque liberta-
tem patriae defendimus,
etsi non tanta, quanta in
bello hiberno, totius populi
unanimitate. Nempe Hitler
et Stalin, paulo prius ami-
ci, iam capitali inter se odio
dissidebant, novoque in
bello ille Finnos contra
hunc socios adiunxerat.
Qua de causa plures com-
munistae nostri militiam
ditectaverunt; inter alios
Arvo Turtiainen in carcerem
includi maluit quam
una cum copiis Hitlerianis
contra Sovietos pugnare.
Etiam hoc bello finito -
mirabile dictu! - libertatem
servavimus, dummodo
eos, qui rei publicae nos-
trae praefuerant, belli
noxios gravissimis poenis
damnarem ac Sovietis
ingens stipendium pro

sumptibus duorum bellorum persolveremus. Postea
hospitio atque amicitia cum Sovietis coniuncti mo-
dum vivendi assecuti sumus. Interdum Urho Kekko-
nen, qui viginti quinque annos praesidens rei publicae
fuit, Finnos ob politicam acu pungendi cum Sovietis
ortam reprehendi debere censuit; talem politicam
hospites et amicos minime decere.


Hodierna condicio Finlandiae sine dubio virtuti
eorum, qui in bello hiberno patriam defenderunt,



Regiones 13/03/40 Sovietis traditae
(summatim descriptae)

tribuenda est, ac prudentiae eorum, a quibus gubernata haec navis - res publica Finnica - suo tempore fortiter portum occupavit. Neque tamen quidquam est, cur superbia efferamur, quod apud nos nunc res melius se habent quam in Baltia, aut populos Balticos contemnamus, qui Russis morem gerendo libertatem suam amiserunt. Nequit enim ludus Fortunae unquam praesciri, semperque facilius est Epimethi quam Promethi partes agere.

Sunt in Finlandia, numero quidem perpauci, qui hodiernis difficultatibus Unionis Sovieticae incitati Careliam occasione oblata vel armis repetendam esse censeant, quae per iniuriam nobis erepta sit, sicut populis Balticis libertas. Eius generis sermones nihil continent nisi semen novorum bellorum, quae omni modo vitanda sunt. Multo melius nobis est foedera, quae icimus, fideliter tenere. Numquam igitur Carelia armis repetenda erit - sed fortasse aliquando pecunia redimenda, si hanc optimam esse rationem aequilibrii commercialis inter Finnos et Sovietos restituendi utrique consenserint. Sit mihi venia pio desiderio concludendi: fine huius millennii appropinquante ita



*Horum sacrificio tribui oportet,
quod Finlandia usque superest.*

Europa oportet redintegretur, ut omnia problemata concordia, non armis solvantur.

Ericus PALMEN
lector linguae Latinae
Universitatis Granivicensis



DE NOVIS LIBRIS

Petrus WOLF, Ambitus sive descriptio interioris urbis Basileae, ex officina Bauer-Brandenberger, Basileae 1989.

Inter urbes Europaeas certe Basilea Latinissima et humanissima semper fuisse usque ad tempora nostra videtur.

Quae urbs quae ultimum asylum dedit magno Erasmo semper refertissima fuit hominibus Latinissimis.

Quis enim ignorat haec nomina illustra in re publica litterarum: nomina Bernoullorum, Mariae Sibyllae Merianae, Conradi Lycosthenis, Theodori Zuingeri, Caeli Secundi Curionis, Beati Rhenani, Sebastiani Castellionis, Theodori Bezae, omnium doctorum Latine scribentium atque illorum typographorum qui vocantur Oporinus, Perna, Frobenius qui litteras Latinas in Europam propagaverunt?

Haec hereditas Latina non omnino perit et talis urbs, olim Latinissima, non est oblita fontes suos qui ut scimus «tota urbe scaturiunt dulces nitidique» ut verbis Aeneae Silvi Piccolomini utamur, quippe nunc, primum hic in Europa, descriptio urbis tota Latina apud Officium Turisticum acquiri potest. Haec descriptio, belle edita, photographematisque perpulchris exornata, inscribitur: AMBITUS, sive descriptio interioris urbis Basileae, ex officina Bauer-Brandenberger, anno 1989 edita.

Auctor est Petrus WOLF, photographemata perfe-

cit Petrus MANGOLD.

Latinitas huius libri est perspicua atque bene intellegibilis, quamvis, nonnullis in verbis, eius lingua distet a Latinitate viva hodierna, ab usu cottidiano latinizantium. E quo indicio apparet nobis auctori non esse linguam Latinam cottidie in usu eumque ignorare de circulis Latinis nec non de motu Latinitatis vivae. Eo magis videtur mihi mirum esse eius opus exanclatum.

In igitur hoc libro praecipuae res et monumenta videndae describuntur.

Iter incipit a Basilica Cathedrali et finem habet post circuitum iucundum eodem in loco, in platea Basilicae Maioris e qua multa varia loca prospici possunt, omnia pulcherrima, praeter eheu turres sive caminos industriae chemicae qui ex longinquo surgunt et apparent.

Libro lecto, mihi magnum desiderium venit in mentem lustrandae Basileae cum latinizantibus et cur non auctore libri ipso ducente?

Sed haec est alia res, legamus omnes hunc libellum et carior nobis erit Latinissima urbs Basileae.

Alanus DIVUTIUS Bruxellensis

AB OBLIVIONE VINDICETUR...

MUSA MUSICES¹ (PARS PRIMA)



1. Ios, GANDO, NICOLAO PAGANINIO CARMEN²

Cum citharae figis flammantia lumina et arcu
elicis inde modos, volitans cum dextera lambit
aut vi pressat agens nervos, moriantur acutae
flebiliter voces, insueto tramite manent
sive graves numeri, rapido cum frena relaxas 5
oestro et nectaream reseras modulaminis undam,
ut subito commota sono mens fervet et almis
gestit imaginibus! Se duro e carcere raptam
sentit in aethereas auras, atque addita divum
concilio superae praelibat gaudia vitae. 10
Sin citharae mavis vocale inducere flamen,
tam liquidum divo carmen demittitur arcu
et pulsus tam blanda citharae praestigia chordis,
ut desideria arreptaeque ad sidera mentis
delicias simul et miseros recreantia vota 15
pandere tu valeas, et nulla voce loquentes
mille animi affectus - et flebile quicquid in imum
suaviter obrepit pectus lacrimasque lacessit,
flexanimus puro si manat cantus ab ore:
quos trepidans primos virgo suspirat amores, 20
dum magis exacuit trepidam sub pectore flammam,
atque infelicis gemitus ad tristia nati,
erroresque animae pulcherrima somnia frustra
optantis, peteret ceu penna praepete sidus,
quod se mox avidae condant dum clarius ardet, 25
et patefacta oculis arcana gaudia cordis,
si propriae assimilem mentem sortiris amantem,
quae fronte eniteat, radius velut enitet undis,
quotque etiam maestae edit spes irrita voces,
quot generosa iterat miserorum turba querelas, 30
exulis et curas ad patria tecta volantes,
et resonans Italiae gentis miserabile carmen
magnanimum super ossa virum, quibus alta superbit
Ausonidum tellus.

Cuius fuit incola caeli,
et quo te, citharae princeps, delapsus ab astro 35
angelus ille adiit, qui te feliciter aptum
tot docuit numeros? Hic primo in lumine vitae
caelestes sonitus dedit ac modulamine tanto
vagitus superae mulcebat imaginis instar.
Ipsemet Hunc tueor; pulchro emicat ore supremae 40
fulgur mentis adhuc, rutilis quae fixerat una
cardinibus miro compostas ordine moles
aetheris; Huic etiam suavissima lumina flamma
exardent alacri, virtus patet unde creatrix:
taliter ex alto docturus venerat ales. 45

Dulcibus Ille tuis subrisit leniter annis
teque suis puerum pennis amplexus ad arces
sustulit aethereas; maternaeque aurea stellae
limina tu repetens avida melos aure bibebas,
quo late circum resonant caelestia templa. 50
Siderei retinens iubaris vestigia terris
improvisus ades, numerosae normaue legis
angelus (ecce) tibi lateri dux semper adhaeret:
harmonicam penitus quae temperat omnia mentem
scrutatur rerumque tibi spectacula promit. 55
Et prima aurorae tecum nunc Ille salutat
lumina, nunc placidae per amica silentia noctis
te sequitur comes et radianti fronte renidet.
Teque per acclivi ducit violaria montis
et tecum, simul ac magnis nemora alta tremiscunt 60
turbis, sociat reboanti carmina nimbo.
Ac tibi spectandum volitans super aequora ponti
se dedit et tacitus resoni te traxit ad oras
aequoris, atque lubens arrectis auribus una
captabat tecum, cum sol se mergit in undas, 65
quot procul emittunt sonitus, iam iam morientem
quae flent aera diem curis et pectora complent.
Te super Alpini fastigia verticis egit,
unde volat solemque petit regina volucrum;
annis et audito, nitidis cum idssillit undis, 70
murmure, qua niveis argenteus innatat alis
collaque solvit olor numerosus et aera findit,
tractavit querulas tecum prope litora chordas.
Taliter Edenis vetito sub limine maestos
audiit Eva dolens nemora inter frondea cantus 75
ac citharae gemitus, fletu suffusaue tollens
ora pios superis pacem veniamque petentes
audiit.

At postquam tibi sanctos Ille reclusit
harmoniae fontes et quot fas cernere menti
nosse dedit praesens: «O terque quaterque beate 80
me viso, quamvis mortali in veste lateres,
nunc aegidum propera feliciter», inquit, «et aegris
fratribus aethereos unus testabere cantus.»
Fixaque saepe Deo tibi lumina fixa tenebat
leniter et quassas sese libravit in alas, 85
ridentique vale tibi dixit ab ore suamque
praebuit Hic tandem citharam, fusumque per auras
insonuit caeleste melos; tu protinus illam
tangis et angelicum repetit chelys excita pulsum.

*
* *

2. A.B. RAMSAY, "CHORISTERS"³

Multa diverso peraguntur aevo;
arte non omni superant adulti;
et suis primi satis instruuntur
dotibus anni.

Nos Deo, si quod dedit Ipse donum,
reddimus, sacrum pueri cientes
carmen in templo liquidamque docti
flectere vocem.

*
* *

3. SEB. SANTUCCI, POETA RESPONDET AMICO SE IMPAREM ESSE CANENDIS LAUDIBUS DOMINICI CIMAROSAE MUSICES MAGISTRI⁴

Urgere vatem desine: barbitos
oblivioso pendet ab arbuto
dulcemque detrectans fragorem
maesta dies terit otiosos.

Quin et volentem dixeris imparem 5
aptare nervis grandia languidis;
insignis indigno nec audet
facta viri tenuare cantu.

Vulgare quiddam Partenopes Rosam 10
ne forte credas: illa Favoniis
nutrita defluxisse numquam
purpureum doluit colorem;

quin falce crudeli licet obruta 15
sub vere primo, pulchrior extulit
post fata cervicem, datura
perpetuum populis odorem:

non cessit ille, annis melioribus 20
natus; sepulchro fama venustior
emergit et virtus ab ipsa
sumit opes animumque morte.

Hispana gens et Gallica nec minus
Istrum bibentes quique sub ultima
tangenda vix ulli vagantur
litora, non sine mentis aestu

sensere magnus quid valeat lyrae 25
cantusque rector nobilis agmina
proterva curarum fugare
reddereque exanimis vigorem.

Ille et furores cum velit excitat 30
premitque, ludos inter amabiles
severa demulcet potentum
corda genis lacrimasque tergit.

O lapse caelo, o germen Apollinis, 35
imbute divum nectare, neu sinas
tractare vulgarem poetam
Threicio celebranda plectro.

Spectandus instar tu maris Indici
condentis alto divitias sinu
ferves et immensus profundo
multiplices paris ore gemmas. 40

Ego biremi iam minus integra
fretus, quid ausim? Vela quid explicem?
Vel murmur undae et lenis aura
lambere me docuere litus:

Haec vix poetis magna sonantibus 45
tractare fas est, gloria quos alit
et Musa secrevit profanis
gentibus inseruitque caelo.

*
* *

ADNOTATIONES

(1) Aliquot Melissae fasciculos poematiis magna ex copia selectis exornari velimus eis, quae ad musicen, musurgos, cantum, cantores etc. pertineant. Nam cum textus musici soluta oratione scripti unum iam in corpus sint relati, carminum id genus florilegium numquam (quantum scimus) est paratum. Edentur carmina saec. XV-XX.

(2) Fons: Alcune poesie di viventi Italiani colla versione latina di Gius. Gando (Genuae, 1838), pp. 51-61; accedit textus primigenius auctore Antonio Crocco. Usi sumus exemplari Genuae adservato in bibliotheca publica a Berio nuncupata. Gandius poeta erat Genuensis saec. XIX prioris. Paganinium musurgum et fidulistam (Genuae, 1782 - Nicaeae, 1840) omnes et nostra aetate norunt.

(3) Fons: Ros Rosarum (Cantabrigiae, 1925), p. 19. Usi sumus exemplari Lovanii adservato in bibliotheca studiorum universitatis. Alanus B. Ramsay (1872-1952) professor erat Cantabrigiensis. "Choristers" Anglice dicuntur concentores iuniores.

(4) Fons: Carmina lyrica quibus accedunt elegiae, epigrammata et aliquot inscriptiones lapidariae (Romae, 1838), pp. 16-17. Usi sumus exemplari Antverpiae adservato in bibliotheca studiorum universitatis. Sebastianus Santucci XXX per annos (1817-1847) in Bibliotheca Vaticana scriptor erat Latinus. Dominicus Cimarosa musurgus idemque cantor (Aversae, 1749 - Venetiis, 1801) nulli non notus.

Theodoricus SACRE

ANTE OMNIA ROMA VULT SANARI



Commentatio Vidonis Angelino, cui index erat «Roma an Herculaneum?» (cfr Melissa, lib. 37, die 6 m. Aug. a. 1990), inter alios lectores me quoque in considerationes serias abduxit. Multa didici, quod pro Vidonis acumine non est mirum, et illa hac facundia, qua idem auctor doctus suas symbolas sive condire sive illustrare solet, etiam ego legens delectatus sum. Tamen in puncto rei mihi non persuasit. Immo, cum rerum ipsarum pondere magis magisque in retractando cogar et quodammodo instruar, ad conclusionem Vidoni contrariam perveni eique obloquar. Is ergo vir eximius idemque amicus meus ne crimini det nec tacito opprobrio mihi tribuat, quod consilia a suis tam diversa publice propono: nam in vitus contradico.

Duo sunt, quae memorem. Primo animadvertatur in urbe Roma nunc temporis prementes ac urgentes esse necessitates, quae ad caelum clamant, ut aliquid mutetur. Ex altera parte notari oportet illam coniunctionem archaeologiae Romanae cum archaeologia infelicis Herculanei perperam factam sive fictam esse. Utrumque confirmabo argumentis, quae sequuntur.

I

In causa est hodierna via strata, quae appellatur Via Fororum Imperialium. Quam alii omnino demoliri, alii autem intactam conservari volunt. Omnes tamen cives, quilibet aut erga aut adversus eam viam disputent, disputaverint vel disputabunt, hoc saltem concordant, quod concedunt partem Fori Romani sub aggere eiusdem viae adhuc incognitam nunc esse eruendam. At quo pacto? Inde incipiunt Quirites discordare, ita ut alii pro praesenti atque postero tempore deleturi, alii conservaturi sint, interim eandem illam viam tantum subterraneis rationibus veluti cuniculis suffodi praeoptantes. Vido Angelino quoddam quasi effugium praefert, quod nihilominus ineptum est: namque commendat magistratibus Romanis, ut cuncta opera archaeologica tantae difficultatis deserant, Romae nil porro efficiant et civibus Resinensibus (Resina enim est Herculanei emortui urbs viva) potius persuadeant, ut ipsi ac suismet certe nummis Herculaneum perfecte effodiant. Ineptum dico hoc consilium, quoniam quaestiones proprie Romanae Romae solvi debent nec alibi terrarum. Romae urget necessitas eademque multifariam, ut infra exponam. Ergo haec causa de Via Fororum Imperialium ita decernatur, ut urbs Roma cum eiusdem solutione melius vel quam optime possit vivere. Praeterea non est negligendum hodie temporis nullas res archaeologicas recte tractari, si tractentur sine oecologiae ratione habita. Nam archaeologia praecipue urbana vult ac debet esse pars illius curae, qua urbibus nostris medemur, id est saniores statum reddere temptamus. Quem enim fugiat urbes nostras, tales

quales nunc sunt et quales posteris a nobis tradentur, parum habitabiles esse? Hoc ipsum a Vidone plane omissum est, quamquam omitti nullo modo potest.

Multifariam urget necessitas in urbe Roma. Licet mihi hoc tribus argumentis praestantissimis explicare.

(1) Ratio urbanistica quae dicitur vehementer poscit, ut Via Fororum Imperialium definitive destruat.

a) Eadem via, qualis nunc est, facit cursum autocinetum nimis spatiosum et nimis directum, quo autoraedarii frequentissime seducuntur, ut vehantur temerarie, ut gubernandi modum praecelerem assumant gubernatoresque ceterorum vehiculis in pericula impingant, denique ut ita decursando immisiones pestiferas nimis multas in aerem - scilicet omnium communem - efferant. Quae coinquinatio aeris Romani facile evitari potest, et pariter non est difficile periclitationem tot autoraedariorum excludere, nempe cum haec via funditus deletur.

b) Eadem via, quam Vido Angelino appellavit «splendidam et utilissimam», secundum omnem sensum pulchri et honesti et amoeni, praesertim vero secundum mathematicorum «sectionem auream» definienda est nimis lata; affert enim spectatori pedibus eunti similitudinem ingentis navis onerariae, ultra cuius proram atque puppim male prospicere vel respicere licet; omnes proportionales pro istius viae amplitudine falsantur, et, si forte supra volando eam inspexeris, foedissimi vulneris tumescentis conspectum habebis. Semper autem impiederis, quominus ad antiquorum loca sacra probum oculorum intuitum dirigas. Fortuito alias partes ruinarum cernis, fortuito alias desiderare cogeris. Quod factum sane evitabile est: abrogetur igitur haec via!


c) Eadem via, quae «splendida et utilissima» dicta est, reapse non tam grandem usum parit (ut de splendore taceam). Exceptis enim autoraedariis, qui suismet curribus effrenatis «per cunctas horas diei eam sine intermissione percurrunt», vix quisquam umquam ullum fructum carpsit ex ista via maxima. Ambulationes parallelae, quibus cingitur, plerumque vacant; quamquam arboribus dispersisque arbustulis consistae sunt, paene una allave mulier interdiu canem suum educit, homo rude donatus paululum considens acta diurna volutat, peregrinorum ductor gregem suum ibi pascit per paucillimum temporis; sed mirum est, quam pauci homines, ex his permultis, qui diutius ibi consistere possunt, profecto illic remorantur. Ne mendici quidem hasce ambulationes diligunt, cum tota earum regio nimiam festinationem secum ferat, nimium rumorem die noctuque debacchantem referat. Iam videtur maximus harum ambulationum usus ille esse, si quis audax istum circum autocinetistarum incolumis transmigravit pedibus et deinde scilicet animum recuperare temptat, cum in sedilibus marmoreis considit et paulatim halitum plenum reci-

pit. At sunt paucissimi, qui tam audacter audent quique propemodum sospites se illic recolligunt. Et videlicet haec omnia non necessario significant hanc viam tumultuosam cum suis ambulationibus arenosis in perpetuum aevum esse conservandam. Immo, cunctae rationes sanae nos invocant, ut aratra conclamemus, viam inutilem evertamus et, elegantibus curvis non multo supra ipsas ruinas elatum construamus pontem chalybaeum, angustum, gracilibus statuminibus suffutum et colore fusco ruinarum collinitum, qui solis pedestribus reservetur. Ibi homines absque periculo consistent, meliorem aerem haurient, cum otio antiquitatem superstitem admirabuntur. Ibi et inde circumspectus nullis proportionibus perversis corrumpetur.

d) Haec proposita mea concordant cum consiliis virorum peritorum, quorum est autocinetorum comeatum pro viribus humanis e centro sive corde urbis Romae expellendi et arcendi. Nam infarctus cordis Romae instat. Itaque nullo iure licet cottidie plures autoraedarios huc allicere, immo hinc eos extrudere post omnem hominum rationem ratum est. Nunc est tempus sat maturum, quo plures pluresque Romanorum peregrinorumque modicis itineribus pedestribus denuo assuefiant, ne Roma ipsa corruat autoraedarum, motobirotarum ceterorumque vehiculorum fumis vel vibrationibus per terram aeremque fusis; simul pertimendum est, ne autoraedarii, pro mollitia suorum pedum iam oblitii, nimis morbis civilibus afficiantur, facti cum infirmi tum degeneres. Hoc puncto ratio urbanistica cohaeret cum re medica seu valetudinaria.

(2) Ratio archaeologica pro parte sua poscit, ut Via Forum Imperialium in perpetuum deleatur.

a) Sub eadem via latet ea pars Fori Romani, quae numquam ad veras regulas archaeologiae scientificae perquisita est: scilicet aliquanta pars Fori Caesaris, Fori Traiani, Fori Augusti, tum Forum Pacis atque Forum Transitorium, praeterea sepulcrum Bibuli nonnullaque cetera. Quae omnia, si recte computamus, nobis sunt incognita. Hic demum mihi liceat aliquod Vidonis argumentum meum facere, quod ipse pro Herculaneo statim effodiendo dixit, quod autem ego afferam pro Romanis ruderebus antiquis effossandis. Veri enim simile est alicubi inter copias terrae congestae, verbi gratia circa Forum Augusti, latere et explorari posse plurima optimaque documenta sculpturae temporis Augusti; praeterea bono iure existimatur multas quaestiones de programmate imperatorio Augusti et ita de natura principatus melius solvi posse, si modo tota area templi Martis Ultoris recte sit effossa. Peccatum esset scientiam archaeologicam, quippe omni apparatu tecnico instructam, in utilissima sua progressionem cohibere, impedire, sistere.



Barbarorum nec hominum humanorum esset. Ergo haec via, qua omnis progressio archaeologica in urbe Roma impeditur maxime, nunc statim ac plene tollatur. - Hactenus de arte archaeologica in se ipsa spectata.

b) Ceterum haec res non ea est, quae mortuorum gratia urbem vivorum comprimat. Quamvis talia opprobria nonnumquam audiantur, sunt profecto perversa et inania. Nam hoc casu - certe felici - iura viventium cum mortuorum coincidunt. Vivi scilicet Romani, qui non indigent ista via gentium in urbe deerrantium, ipsi non parce vivunt atque florent monumentis, scriptis, gestis et perenni auctoritate maiorum

suorum antiquorum, idque non ignorant; nec enim debetur praestantia urbis ullis commodis modernis, veluti strato itineri autocinetico, sed proprie potentiae spirituali antiquorum et proinde progressionem scientiarum antiquarum. Ob id ipsum - ut perbene novi, quippe qui amplius biennio Romae vixerim et antea et postea nescio quotiens in urbem venerim eiusque cives eorumque sensus ac sententias cognoverim - Romani pro parte sua sunt promptissimi ad omne inceptum, quo verae Romae Romanorum honos excolatur. Itaque non sunt Romani, qui tam arte conglutinati sint cum hac ista via, qua Forum nobilissimum ignobilem in modum dimidiatur et arcana eius in perpetuum contacta ipsis Romanis prohibentur...

c) Postremo aliquid subiungam de pecunia. Vido noster contendit - nescio quibus inquisitionibus certior factus - abolitionem illius viae ingentissimis impensis constaturam esse. Certe non constabit paucis obolis; neque tamen, ut ego scio, modum mediocre excedet. Methodus contra, quam Vido potius commendare videtur, scilicet conservatio eiusdem viae et effossio archaeologica ope cuniculorum suffossionumque specialium, ipsa constaret multo ingentioribus, quin tantis copiis impensarum, quas vix quisquam mente imaginaretur; insuper magistratibus pararet continuas aerumnas, civibus per multos annos ambages iniucundas, archaeologis offerret nihil nisi impedimenta et procrastinationes superfluas, et, id quod fortasse nervus est, pretiosa tempora paene aeterna consumeret. - Imprimis ergo ratio nummaria archaeologorum suffragio cito succurrit.

(3) Etiam ratio oecologica consentit cum abrogatione huiusce viae. Possint quidem argumenta oecologica aliquantulum vulgariter concepta id flagitare, ut haec regio aliquotularum arborum nondum omnino mortuarum strenue custodiatur et ab omni destructione vindicetur. Contra quae libet exclamare: Vana species veri! Nam re vera cogitare incipitur a monumentis Fori Romani incomparabilibus: haec multo pretiosiora sunt quam ulla arbor aegrotula ex ista via. Longe maior atque gratior effectus oecologi-

cus efficietur, si modo haec tota via e contextu monumentorum erit exemptus! Sunt enim antiquorum monumenta, quae his machinis a combustione benzinae magis magisque pessumdantur; eadem sunt, quae continua concussione debilitantur ac franguntur, quae combustionis variis venenis in dies destruantur; et, praeterea, eisdem venenis cuncti homines circa Forum incolentes aut solitis operibus officisve fungentes valde afficiuntur. Itaque cum strato cursu autoraedarum extrahantur etiam glareatae ambulationes cum arboribus; sed tunc denique consulendum erit, ut tota regio Fori fiat una maximaque ambulatio. Inter ruinas hic et illic pulchram arborem interspargere certe neminem offendet, immo gratum erit omnibus Fori visitoribus ac inquilinis centri historici. Ceterum illud Tropaeum Nationis Italicae contemplemur, quod immani candore suo (ut de qualitate artificiorum in eodem taceam) et colores et formas proportionisque monumentorum antiquorum vexat. Nonne plurima loca exhibet plantis collocandis? Verbi gratia haud ineptum esset, si saltem latus Tropaei versus Forum Traiani situm densis vitibus amiciretur; iuxta quod latus reviviscens etiam terra, vastitate asphalti liberata, recens sustinebit lucum platanorum palmarumve; praeterea in Vico Tusco, ubi regio archaeologica novum limitem habebit, parvus lucus complantetur. Sic horti archaeologici Fori Romani suum characterem verorum horticulorum aut adipiscuntur aut potius redipiuntur, postquam per tot saecula (excepto uno...) archaeologi naturam huius regionis hortulanam tangere non ausi sunt. Sic numerus plantarum viventium in Foro multiplicabitur. Praecipue vero vallis inter Esquili-

dixi. Qui scilicet circa columnam Traiani bivio circumductus probisque scalis stipatus - ne quando vel ibi submolesta plebs birotistarum circuletur - Romanis item ac hospitibus almae urbis otium spectandi et quietem animi redonabit, nempe illam condicionem, qua iugis praesentia antiquitatis ab omnibus imbibetur. Propterea ille pons pedestrium necessario vult fieri. Sic ratio oecologica cum usu periegetico coniungitur.

Postremo aliqua verba dicam de pecunia. Sunt enim aliqui emunctae naris critici, qui asserunt haec similiaque consilia esse argumenta parasitorum romantico-romanticorum, qui vorent opes civium, nullum autem ferant ulli commodum. Hi perperam loquuntur. Praetermittunt enim magnum usum publicum, qui consistit in urbe salubri ac sanata; et, si Via Fororum Imperialium funditus deleta archaeologis cederet locum libere agendi, et porro si exinde horti archaeologici Fori Romani essent instituti, plures certe peregrini Romanam fluerent confluerentque, satis commode numeros Romanorum augentes et gratiam urbis apud omnes gentes sine dubio promoventes. Qua de causa haec tota argumentatio oecologica etiam pertinet ad lucri negotia: otium excolit cum bono negotio!

Itaque ratio quoque oecologica vehementer dicit atque dictat, ut ista via autocinetica, qua priscum Forum dissecatur, destruat proxime, immo quam proxime.


Quid ergo censeo faciendum?

Urbem Romam esse salubribus curis consanandam. Inter quae dicam eam esse saluberrimam, quae tollat illam viam.

II

Transeam ad Herculaneum, oppidum mihi gratissimum, inter cuius viculos et ego ambulans mire delectabar.

Attamen vix intellego, cur Vido Angelino putet sub lava concreta Herculanei usque ad hodiernum diem multa cimelia calligraphiae antiquae, multos textus incorruptos auctorum nobis notorum, sed etiam nonnulla opera nobis aut titulo tantum aut plane ignota latitare. Si Herculaneum complete effoditur, secundum opinionem Vidonis nostri fere necessario reperiuntur plura testimonia litterarum Romanarum Graecarumque. Hanc autem opinionem, ut dixi, haud bene intellego, quippe cum civibus Herculaneis spatium tridui fuisset, ut pretiosissima bona sua commode atque consulte deportarent; quo tempore triduo il profecto cuncta bona mobilia ex Herculaneo transtulerunt ad diversa loca alia. Herculanei enim nulla vasa vere pretiosa, nulla vestimenta elegantia vel cottidiana ab archaeologis colligi potuerunt, nullus ornatus muliebris repertus est. Cur proprie libri, res in antiquitate fortasse omnium pretiosissimae, a possessoribus relictis essent? Tantam negligentiam desperationemve supponere non fas est, cum sciamus nullum Herculaneis indicium accidisse, quo coacti essent de reditu suo dubitare. Immo debuerunt saltem primo alterove die arbitrari se mox esse domum suam redituros et vitam solitam pervituros, scilicet cum omnibus instrumentis subsidiisque vitae cottidianae ac antehac: cur igitur ipsos libros archivorum bibliothecarumque suarum viribus adversis naturalibus aut praedatoribus furi-



num et Palatinum Minorem, scilicet inter Vias Cavour, Gregorianam, Labicanam in melius mutetur: illa convertatur in plateam stativam autocinetorum, sed nobilitandam multis atque multis arboribus ibi plantandis; furens commeatus publicus bene placeat, et angusta via autocinetica, quae trans eandem et in futuro ducetur, splendorem illius silvae urbanae ne umquam minuit! Inde ex hac statione finali autocinetorum spectatores Fori perfruentur gratuito circumspectu optimo, visitatores autem per scalas descendunt ad ipsa monumenta, et inde etiam initium sumet ille pons chalybaeus publicus, de quo supra

busque prodiderint? Certe nemo sanus res tam utiles et pretiosas e manu dimisit! An existimamus Herculanei exstitisse bibliophilos, qui quidem multitudinem librorum coemerint, nullum autem servum sibi acquisiverint? Tanta avaritia apud antiquos paene non potuit esse, cum homines in magna domo ipsi bibliothecae apta sine servis nequivissent vivere et, id quod in societate hominum meridionalium maximi momenti est, perridiculi mansissent: ergo solitarii, ab omnibus irrisi, numquam visitati; nam sine servis quomodo epulari potuerunt? Semper igitur Herculaneis possessoribus librorum servi erant praesto, ita ut statim tota cuiusque bibliotheca in pharetras vidulosque recte condi et post duas tresve horas facile deportari posset. Ideo nos hodierni somniamus de mellioribus propositis: Herculanei nulla litterarum textuumve inventio extraordinaria speranda est. Itaque sententiae Vidonis non assentior: nullam veri similitudinem secum fert.

Quae cum ita sint, Herculaneum non collocatur in primo ordine locorum proxime ab archaeologis effodiendorum; non enim urget aliqua necessitas. Quod iudicium meum non excludit spem sobriam, quae ubique terrarum coniungitur cum novis inquisitionibus archaeologicis, si quae fiunt; certe aliqua iucunda tunc optari vel sperari possunt. At vero Herculanei nulla est praestantia, qua praescribatur tales inquisitiones nunc esse suscipiendas.

Immo, e contrario graviter monemur, ut Herculanei a talibus operibus abstineamus. Nam Vido Angelino ipse concedit ibi, antequam archaeologi operari possint, dimidiam urbem Resinam hodiernam esse ad aliam sedem transponendam et proinde alterum dimidium suffossionibus, pariter ac in cuniculo continentali inter Francogalliam et Britanniam fit, inquietandam; insuper Giganteas impensas erogandas esse et antea plurimas causas de recompensatione possessorum soli perdifficiles, perdiuturnas coram iudicibus esse agendas. Quantus nodus difficultatum, quem Vido noster flocci facere videtur!

Praeterea parum intellexi, quomodo fiat, ut res Romanae tam directe cum Herculaneis comparari vel prorsus ita iungi possint, ut inter eas optio feratur. Quid Romae eveniat, cives magistratusque Romanorum, quid Herculanei sive Resinae, Resinenses decernunt - annon iam est hic et talis mos civium? Nonne sunt auctoritates satis diversae, suo iure agentes, pro suo pte fisco disponentes? Et hercle cur tantum unum ex duobus consiliis in factum convertatur? Cur - si utriusque civitatis praepositis visum sit - a Romanis illud Romanum non eodem tempore suscipiatur ac a Resinensibus hoc Herculaneense? Unde haec possibilitas vetatur? - His rationibus bene perpensis puto universam quaestionem «Roma an Herculaneum?» nimis artificialiter et praeter ipsa facta conquisitam esse.

Si autem, merae theoriae causa, tamen effossio completa Herculanei confertur cum effossione Fori Romani plenaria, illa comparatio praesertim est collatio impensarum. Tunc iudicium constat. Nam perquisitio archaeologica perfecta Herculanei facile centuplo maioribus impensis constaret quam Romae. Insuper respectu psychologiae cives Romani facilius assentientur abrogationi unius viae quam Resinenses abolitioni totius urbis. Iudicium profecto praeclaris-

sime constat.

Cum Herculaneum nullo puncto opus archaeologicum Romanum, quod tractamus, suppleat, verbis compendiariis dicam magnum emolumentum scientificum, maius commodum civile, maximum usum honoris et gloriae perennis urbis Romae inde esse oriturum, quod Viam Fororum Imperialium, fontem multorum malorum, evertimus hortosque archaeologicos Fori Romani instituimus, nempe nunc et hodie, quo necessitas tantopere nos incitat.

Vidoni Angelino subiungam plurimas gratias, quippe quas ei debeam. Sine eius commentatione totam quaestionem, quam pro viribus exposui, numquam intellexissem. Sine eius facundia delectabili animum meum ad hanc rem non tamdiu advertissem. Sine eius studio candido atque sobrio argumenta expendere non didicissem. Quam gratitudinem meam nemo lector neglegat. Nam annotationibus criticis, quas supra dedi, quibus iudicium Vidonis ausus sum refellere ac meum contrarium legentibus suppeditare, nolui ipsum virum amicum conficere. Sub obloquio emicat, uti spero, maior amicitia. Itaque humaniter precor Vidonem iterumque eum oro atque quaeso, ut hanc responsionem criticam mihi ignoscatur. Sunt enim et inter amicos aliquando dissensiones, quae si recta ratione ac fiducia duce explicentur, animorum consensum non debilitant.

Henricus REINHARDT

POESIS LATINA

G. IMME, Epistulae decem, Edizioni Pergamena, Viale Ezio 7, 20149 Milano.

Poeticum libellum lectoribus Latinis proponit Genovefa Immé. Quo decem epistulas hexametris confectas mittit ad Ioannem Giraldi, Flaccum, Genovefam Immé (hanc ab Horatio conscriptam), Europaeos senatores, Erasmum Roterodamum, Pinoculum, fontem Bandusiae, Echo nympham, Antoninum maritum vita defunctum, libellum ipsum modo conscriptum. His epistulis poetria sensus suos patefacit de aetate hodierna, de hominibus, de vita, de morte, de humanitate nostra.



DE OPINIONIBUS POLITICIS ISLAMICIS

Hodiernis temporibus multi nova toti mundo imminere pericula e nonnullis arbitrantur, qui Mahometanorum sequuntur religionem. Nam nemo dubitat, quin in Tertio quem vocant Mundo et in aliis mundi partibus fundamentalismus islamicus sit redivivus, neque est qui ignoret tyrannum Mesopotamiae die 2 mensis Augusti anni 1990 accolas finitimos aggressum novam ex illa Cuveitii regione Iracensem provinciam effectam palam esse confessum. Nobis vero nec de aggressionem ista nec de suppressione nec de vi vel de violatione deliberandum nunc est, sed de principiis si fieri poterit Islamicorum theoriae politicae agemus. Quocirca tria capita inseremus haec:

- de principiis religionis Islamicae
- de principiis rei publicae Islamicae
- possitne institui libera res publica in regione Mahometanorum quaeritur.

DE PRINCIPIIS RELIGIONIS ISLAMICAE

I

Mahometani rarissime de religione disputaverant, quare usque adhuc theologia quam nostra ratione usi vocant illis deesse videtur. Erant vero pauci qui sectas aliquas fundarent et sequerentur, sed semper interibant haec sectae. Exempli gratia nomen illius Bedred-Din afferamus, qui ut in nomine Allae omnipotentis - horribile scriptu! - imperium communisticum institueretur optaverat isve anno 1416 igne combustus erat.

Unum vero schisma nominare debemus, Sunnitarum et Sciitarum, quod non religiosum erat, sed politicum. Sunnitae enim sunnam quam vocant secuti orthodoxi nominandi nobis esse videntur - et longe maior Mahometanorum haec est pars -, cum Sciitae politicam sequantur sectam, nam agnoscunt duces religiosos et politicos solam Fatimae, Mohameti filiae, et Ali, progeniem.

Nostra vero maxime interest nostris temporibus religionem Mahometanorum politicam se esse cupere videri. Quod cum statuimus, confiteri quaedam cogimur:

- a) sunt multi et erant et erunt Mahometani qui neglecta omni theoria et praxi politica pii et corde credentes suam ipsorum sequuntur religionem;
- b) sunt pauci qui, quamquam Islamico se credere Allae quasi deo, tamen hac e fide politice agant;
- c) «Bellum Sanctum» in Corani libro conscriptum longe aliud est atque multi in Occidente opinantur;
- d) de rebus in summo discrimine per Iracorum in Cuveitii fines factam invasionem positus hic non

agam, quia hodierno die nescimus, quid crastino fiat (manuscriptum hoc finitum erat die 30 m. Sept. 1990). Saddam Hussein vero recte ac iure pirata fur sicarius homicida nominari debet - id quod minime pendet e religione!

II

Cum Islamica religio theologia paene omnino careat, semper eadem credebantur creduntur creduntur quinque solae sententiae, quae sunt haec:

- 1) «Non est deus nisi Allah et Mahomet est Allae nuntius»: omnes Islamici hac sententia confitentur et unum se credere deum - minime unum eundemque in tribus personis trinum ut Christiani! - et totos se illi subicere.
- 2) Quinquies in die Mahometanis modo praescripto precandus vel adorandus est deus.
- 3) Beneficiis et stipibus pauperes sunt adiuvandi divitioribus.
- 4) Uno mense ieiunium faciendum est, ergo abstinendum a cibis: quod ieiunium ab oriente sole usque ad occidentem fiet, nocte vero ieiunium interrumpitur...
- 5) Semel in vita iter faciendum est ad Meccam, qua in urbe Mahomet ille propheta natus erat: peregrinatio haec vera esse debet.

Praeter haec quinque praescripta alia non sunt. Sic theologia non est necessaria, sic solum Corani librum legere necesse est: est enim Corani liber confectus e verbis Mahometi prophetae. Qui Corani liber non sola praecepta quae ad religionem, sed etiam quae ad politicam sive vitam socialem pertinent, exhibet.

III

Etiam de eschatologia docet propheta in isto libro, quo de paradisi gaudiis haec legimus verba: «Ecce, qui timent deum securo erunt in loco et in hortis et in fontibus, vestientur sericis vestimentis» vel «Intrate cum gaudiis in paradysum vos ipsi et uxores vestrae. Tenebunt omnes aureos calices, in quibus qui ab animis et oculis inesse cupiuntur potus inerunt. Hic enim est paradysus, quam hereditatem habebitis, quia bene fecistis omnibus hominibus. Vobis et praebebuntur optimi fructus quibus vescemini.»

Multas vero alias afferre sententias longum est, unum autem non ignoramus: Mahometani et paradysum fore credunt et illuc solos adventuros esse illos, qui in vita sua terrena bene fecerunt et mandata dei observaverunt!



EX ORBE LATINO

NOVISSIMUS NUNTIUS EX FRANCOGALLIA

Modo Domina **Genovefa Immé** nos certiores fecit de proxima inauguratione monumenti in Latinitatis honorem Pali erecti. Burgimagister Palensis Lunae die 7 m. Ianuarii anni 1991 meridiano tempore monumentum coram populo detegit inaugurabitque. Multi

homines undique terrarum invitati sunt ad hanc caerimoniam participandam.

Genovefa Immé, 21 Boulevard Recteur Sarrailh, F-64000 Pau.

EX BATAVIA

Vido Moysard in actis diurnis q.t. "Het Laatste Nieuws" (27/10/90) commentationem legit qua apparet linguam Latinam non modo in septentrionalibus regionibus Europae, sed etiam in meridionalibus valere. Quam symbolam, Nederlandice conscriptam, pro lectoribus in Latinum vertit: "*De lingua Latina: Postquam Latina lingua decem annos omittebatur doceri in plurimis Italianis secundariis scholis, nunc ab Italiano parlamento proponitur ut vetus lingua ab integro in*

inferioribus scholis redintegretur. Cur? "Latina lingua est basis omnium Europaeorum linguarum" censet parlamentarius Fiandrotti. Quin etiam recentiora studia probaverunt Latinam linguam maxime analyticam cogitationem et iudicium exercere, et magis quam Britannicam cum ordinatris congruere. Fiandrotti censet quoque Latinam linguam recentioribus modis e.g. audiovisivis instrumentis esse docendam et discipulis discendum Latine loqui."

EX ITALIA

Fortunatus Giacomini, alius fidelis lector, non solum eadem memorat de Italia sua, sed etiam monet similia consilia in America nunc iterum praevalere. Ille etiam, pro sua humanitate, actorum diurnorum (q.t. Il Sole - 24 ore, Il Giornale, La Voce del C.N.A.D.S.I.) excerpta in Latinum vertit:

"Lingua Latina ac lingua Graeca in scholis Americanis magis docebuntur... quia maxime proficiunt (ab actis diurnis q.t. "Il Sole - 24 Ore", inter maxima folia diurna in Europa de rebus oeconomicis ac nummariis)."

"Managers' (rektoribus, moderatoribus, praefectis)

quoque vel praecipue Antiquitas bonos fructus dat."

"Carolus de Benedetti, 'Praemium Nobel ob physicam', affirmat: Necesse est ut linguae Latinae, linguae Graecae ac philosophiae studium fundamentale maneat."

"Factio Liberalis Italica vehementer optat ut nova lex edatur ex qua in Italicis mediis scholis sermo Latinus iterum doceatur."

"Sanctae Catholicae Missae Latinae (ac cantu Gregoriano) - manifeste 'Roma consentiente' - diebus festis semper celebrantur in nonnullis Italicis urbibus."

EX PORTUGALIA

Dr **Antonius Freire**, auctor Grammaticae Latinae Scriptorumque Latinorum, occasione congressus cuiusdam Olisipone habitus, vim Latinitatis his argumentis ostendere vult:

"Ineunte mense Octobri 1990, colloquium habitum est Olisipone (in Lusitania) de sermonis Latini utilitate hac nostra etiam aetate. Cum multis obrutus occupationibus et quidem praesertim ob auditus carentiam eiusmodi disputationibus interesse non valerem, hasce de scripto conclusiones mittendas curavi.

1. Sine linguae Latinae notitia vix aut omnino non sermo patrius (maxime si de sermone Lusitano agitur) rationabiliter doceri addiscique potest.

2. Lingua Latina, quippe quae monumenta ac litteras maximi quidem momenti prae se ferat, eademque tot tamque praestantibus philosophiae, theologiae, rerum

historiae, medicinae aliarumque id genus disciplinarum tractatibus iam inde a Medio Aevo ad nostram usque aetatem scribendis inservierit, adeo necessaria est eiusmodi rebus scientificis pertractandis ut sine eius cognitione vix ac ne vix quidem opus scientia dignum perfici posse videatur.

3. Tamquam communicationis instrumentum inter omnes gentes vel saltem inter Europaeos homines adhibendum, longe iis anteponenda est (lingua Latina) sermonibus, qui litterarum monumentorum expertes facticiam quandam naturam prae se ferunt.


4. Quo autem utilius iucundiusque sermo Latinus perdiscatur, auctor equidem sum ut eum magistri alumnos plus minusve edoceant quemadmodum linguae modernae docentur: legendo scilicet, loquendo, scriptitando."



LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

DE SEMINARIO BELGICO ANNI PROXIMI

Seminarium Latinum in Belgica iterum fiet Vestendae in aedibus "Zon en Zee". Omnibus perpensis Societatis Latinae moderatores censuerunt emolumenta praestare incommodis atque sedem seminarii non esse mutandam.



SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Elchenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

9 - 16 m. Augusti anno 1991, Vestendae (Westende) in BELGICA

ad litus Belgicum, ut supra nuntiatum est, ubi sole marique frui licet.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Gaius LICOPPE, Avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles. Tel. 02/735 04 08

14 - 20 m. Iulii anno 1991, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH, Aeschstrasse, 6 - CH-3110 Münsingen. Tel. 031/920823

SEPTIMANA LATINA

4 - 10 m. Augusti anno 1991, Amoeneburgi (Amöneburg) in GERMANIA

Latine loqui - Romane coquere: hoc est programma moderatorum qui vos invitant ad sermonem Latinum in vita cottidiana exercendum. Etiam res coquinaras colunt atque hanc vitae Romanae antiquae iucundam partem vobis patefacient.

Interrogandus est: Robertus MAIER, Dresdener Strasse, 10 - D-6070 Langen. Tel. 06103-71652

FERIAE LATINAE

9 - 16 m. Februarii anno 1991 in Carinthia (AUSTRIA)

quas moderabitur P. Suitbertus a S. Joanne a Cruce, Bildungshaus St Georgen - A-9313 St Georgen/Längsee. Tel. 04213/2046

22 - 29 m. Augusti anno 1991 Nicaeae in FRANCOGALLIA

ad litus maris Mediterranei. Schedae inscriptionis petantur a:

Clemente DESESSARD, Résidence des Collines, C.9, 500 rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu. Tel. 93 49 01 91

BRUXELLIS IN DOMO LATINA

lingua Latina vivo modo docetur omni Lunae die, hora 19 - 20. Si quis plura scire cupit: tel. 02/735 04 08.